



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 58. Quidam Servita suam Sententiam revocare compulsus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

„dum, nec tamen hisce temporibus dis-
 „ceptandum, utrum calicis usus sit res
 „accidentalis, an substantialis: hinc
 „concludo, quod articulus hic commode
 „possit omitti, quippe a Constantiensi
 „Concilio jam antea definitus: quartum
 „vero, ac quintum accurate tractan-
 „dos censeo, siquidem calice tot natio-
 „nibus, quot eum flagitant, concessio,
 „aliæ omnes disceptationes supervaca-
 „neæ, immo perniciosæ forent., In
 eandem Sententiam pariter abibat F.
 Joannes Paulus Episcopi quinqueecce-
 lensis Theologus, ac Fratrum Eremitarum
 D. Augustini Alumnus.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

§. LVIII.

*Quidam Servita suam sententiam re-
 vocare compulsus.*

Denique Frater Amans Ordinis Ser-
 vorum B. V. alumnus, ac Sebe-
 census in Dalmatia Episcopi Theologus,
 cum sibi singulari opinione famam emen-
 dicare niteretur, Cajetani doctrinam
 allegans inquiebat, quod Sanguis non
 fit pars humanæ naturæ, sed primum
 duntaxat illius alimentum, nec dici
 possit, quod corpus suum nutrimentum
 in concomitantiam trahat: porro inde
 inferebat, istud, quod sub utraque spe-
 cie continetur, non omnino esse idem
 cum altero: insuper addebat, quod
 San-

Sarpus l. 6.
 pag. 505.
 Pallav. l. 17.
 c. 6. n. 9.

Sæcul. XVI. **A C. 1562.** Sanguis in Eucharistia juxta verba Christi fit Sanguis effusus, adeoque extra venas, in quibus quamdiu detinetur, potus esse nequiret, ac proinde unacum corpore per *concomitantiam* esse non posset, immo Eucharistiam a Christo Domino institutam fuisse inquiebat in memoriam passionis suæ, quæ facta est per separationem, & effusionem Sanguinis. Hac opinione proposita universus Patrum confessus vehementer offendebatur, atque Religiosus iste sententiam suam retractare jubebatur, quod ille etiam cum ingenti submissione, ac docilitate executus est.

§. LIX.

Joannis Villetani dissertatio circa communionem sub utraque specie.

Pariter Joannes Villetanus, seu Villeta Hispanus, qui unacum Barcinonensi Episcopo Synodum accesserat, hanc in rem differebat, & quidem cum tanta sermonis puritate, ac rationum firmitate, ut quamvis ejus oratio jam per solidas duas horas fuisset protracta a die decima septima Junii usque ad ejusdem diei vesperam, qua hæc dissertationes erant finiendæ, nihilominus Patres illum rogarent, ut altera etiam die sermonem suum prosequeretur: quod etiam